

6

# EDICTVM REGIVM SVIRENSE AD MILITES.

Ex quo causæ suscepiti in Magnum Mo-  
scouiae Ducem belli cognoscentur.

## EDICTVM REGIVM DE SVP- PLICATIONIBVS OB CAPTAM POLO- tiām.

RERVM POST CAPTAM POLOTIAM  
contra moscum gestarum narratio.

VARSAVIÆ.  
ANNODOMINI, M.D.LXXIX. ✓



EXII NOB

P. KIR. 1435

W. 2665

Cyt. 219

ЛЯЗАВІ  
ДІМІДОВИІ

# EDICTVM REGIUM SVIRENSE

EX QVO CAVSÆ SVSCEP-  
TI IN MAGNVM MOSCOVIÆ DV-  
cem belli cognoscentur  
)(:)(



STEPHANVS DEIGRA-  
TIA REX POLONIÆ, MAGNVS  
Dux Lithuaniae, Rusiæ, Prussiæ,  
Masouïæ, Samogitiæ, Liuoniæ, &  
Princeps Transyluaniæ, exercitus sui cuius-  
cunq; nationis, atq; ordinis militibus. Etsi tan-  
ta & tam nota omnibus iniuriarum magnitu-  
do est, quas Magnus Moscouiæ Dux regno  
nostro Poloniæ, Magnoq; Lithuaniae Ducatui  
adhuc attulit, vt arma hæc, in quibus hoc tem-  
pore versamur, sera potius cunctis, quam vel  
præpropera, vel non satis iusta cuiquam visum  
iri arbitremur, tamē cum studium nostrum sa-

A ij

tis ex-

## EDICTVM

tis expleri non possit, quo desideramus, vt quæ suscipimus gerimusq; , cum æquitate iustitiaq; nos suscepilse , ij penitus intelligent , ad quos causa quæq; attinere videatur : faciendum nobis hoc in bello existimauimus , vt exercitus nostri , cum eos non tantum ex Regni nostri Poloniæ, Magniç Ducatus Lituaniæ , verum etiam Hungariæ atq; Germaniæ, alijsq; nationibus exteris cōpositos habeamus , certius vel recentiora cognoscant, quæ inter nos, posteaquam Regni huius nostri Principatū gerendum suscepissimus , & Magnū Moscorum Ducem intercessissēt : quæ quidem istiusmodi sunt, vt facile pateat, nihil a nobis prætermissum esse, quod ad Principis Christiani officium , ad vitandum Christiani sanguinis discrimen, ad cōstituendum ex æquitate cum eo hoste concordiam, pertinere posset : ab illo autem, quæ suscepta actaç sunt , omnia cū hostilibus iniurijs coniuncta, & ad arcium, ciuitatum, ditionumq; nostrarum circumuentionem & detrimentum, nostriç nominis dedecus comparata fuisse . Nos quidem simul ac in Regnum hoc nostrum perue-

## AD MILITES.

peruenissemus, vt cœteros Principes Christi—  
anos, partim nostro, partim ordinum Regni no-  
mine, ita etiam Magnum Moscouiae Ducem de  
acceſſione dignitatis potētiæq; nostræ, deque  
optima nostra cum eo etiam pacis cōſtituendæ  
colendæq; voluntate, fecimus per internuntios  
noſtros certiorem. Et dederat verbis, nonnul-  
lam tum ſignificationem, mutuæ volūtatis atq;  
ſtudij ſui erga nomen ſanguinemq; Christianū,  
& litteras addidit, quibus ampliori alicui le-  
gationi noſtræ ſecuritatem accommodabat, &  
peculiari epiftola, quæ etiamnum noſtra in po-  
teſtate eſt, confirmabat, ſe imperaſſe ſuis, vt dū  
mutuo inter nos per Legatos res agerentur, ab  
omni iniuria maleficioq; in noſtros ſe abſtine-  
rent, expoſcens vt eadem ad noſtros mandata  
daremus. Etiſi vero tam callide hæc ſimulare  
non poſſet, quin ſe etiam tum proderet, verbis  
in nomen noſtrum iniuriosis, infestus illius erga  
nos animus, tamen cum eo ſe viſq; tantū iactatu-  
ram eius eſſe ſuperbiā, in posterū vero illum  
ad mentē meliorem, & publicæ pacis, & ſuorum  
ſalutis curam aliquam reuocatum iri existi- ma-

A iiij

re.nus

## E D I C T V M

remus, habita à nobis eius litterarum confirmationi fides est: pro qua quidem fiducia, & mandata nostris dedimus, vt cum Moscī inducias diligenter conseruarent, & ad ipsum Moscouiæ Ducē, Legatos quam amplissimos, Magnificum Stanislaum Kryski Masouiæ Palatinum, Nicolaum Sapiha Palatinum Minskensem, ac Theodorum Skumin Curię nostræ Lithuaniae Thesaurarium misimus. Quæ dum à nobis fiunt, ille violata promissi fide (qua nos inducti, tantum abest, vt ab eo, dum nostri ad illum Legati p̄fici scerentur, hostile aliquid pertimescendū putaremus, vt tuta nobis atq̄ amica omnia pollicemur) subito nulla, aut renuntiatione indutiarum, aut belli denuntiatione adhibita, cum exercitu ipse, adeòq̄ vna filius natu maior Liuoniam inuasit, ac fraude potissimum, & cōspiratione adductis in potestatem subditis nostris, in libertatem, liberos, coniuges, vitam, ac sanguinem Christianorum hominum crudelissimè flamma ferroq̄ grassatus est, arcibus nonnullis ditionis nostræ, dum extremis in finibus Regni nostri necessario versamur, insidiose occupatis: quo tempore, quæ illius in trucidandis

## AD MILITES.

dandis per acerbissimos cruciatus captiuis tru-  
culentia, quæ flagitiosa in vexandis honestissi-  
mis nobilissimisq; fæminis turpitudo, quæm in-  
explebilis in hauriendo sanguine Christiano si-  
tis, & in omni genere iniuriarum immanitas  
fuerit, commemorari satis non potest: & qui  
supersunt crudelitati, & modis aliquibus se ex  
illa acerbitate liberarunt, satis ista testantur.  
Accesserant iam tum Oratores nostri ad ipsos  
Moscouiæ fines, cum inexpectatum de his Mo-  
sci cæptis accipiunt nunciū, quo quidem per-  
moti, ad fines Moscouiæ subsistunt, nosq; faci-  
unt de violata pace, de qua litteris suis Magnus  
Moscouiæ Dux nobis confirmauerat, diligen-  
ter certiores. Etsi verò ab illo hæc fieri indi-  
gnissimè perspiceremus, tamen adducti, studio  
consulendi Christiano sanguini, atq; hæc sine  
maiori Christianarum vtrinq; prouinciarum  
vastitate, atq; incendio ad tranquillitatem &  
pacem reuocādi, mandata nostris Oratoribus  
dedimus, ut se nihilominus ad ipsum Magnum  
Moscouiæ Ducem conferre pergerent, & pe-  
nitius, quis illi pacis nobiscum colendæ sensus  
elset,

## EDICTVM

esset, explorarent, ablatas vero a Mosco eo tempore res, contra litterarum fidem, ut repeteret, & quae subditis nostris ab illo calamitas proxime allata esset, eam modis omnibus sarciri postularent. Quid tum vero? cum peruenisset Oratores nostri, ac Moscus agere cum illis per homines certos suos cœpisset, subito ad omnē superbiam, atq; animi impotentiam descendit: Liuoniam non modo ab omni pacificatione, verum etiam mentione facienda exclusit: nos dignitatemq; nostram regiam, ijs verbis atq; scriptis, à quibus non modo Principem virum, eumq; Christianum, verum quemuis etiam cuiusuis ordinis abhorrere quam maximē decet, acerbè violauit, in regnum nostrum Poloniæ, Magnumq; Lithuanie Ducatum ius sibi arrogauit, idq; vanissimis modis asseruit, dum à Prusso, nunquam inter mortales cognito aut nato ( quem Octauij Cæfaris fratrem, generis vero sui auctorem fuisse contendit ) orsus, ab eo se esse propaginem quartam decimalm significauit: quibus quidem generis sui vanissimis deliramentis, sibi ius perquam absurdum

## AD MILITES.

surdè in vniuersum Poloniæ Regnum , Ma-  
gnumq; Lithuaniæ Ducatum, aliasq; Prouin-  
cias vendicare instituit. Ad hæc omnia, cùm  
post multas variasq; actiones, nostrorum O-  
ratorum , cum Consiliarijs Magni Moscouiæ  
Ducis, quos eam ad rem designarat, de certa in-  
duciarum ratione conuenisset, nostriq; pro eo  
ac vtrinq; conuenerat, suas de eo litteras per-  
scripsissent, & Magno Moscouiæ Duci tradidis-  
sent, ille suas, quas è conuerso daret, non ( vt  
facere par erat ) ad similitudinem litterarum  
earum, quas Oratores nostri obtulissent, veri-  
tatemq; mutuæ inter Legatos nostros eiusq;  
Consiliarios conuentionis, sed ad arbitrium  
libidinemq; suam ita perscripsit, vt inducias ad  
Liuoniam pertinere nollet, quinimò non mo-  
dò eam sibi cum Curlandiæ Ducatu, verum e-  
tiam quicquid nobis vsq; ad Prussiæ fines diti-  
onum est, (interest autē ipsius Lithuaniæ pars )  
cedi à nobis oportere significaret , quas suas  
litteras ita perscriptas, cùm in eas iusurandū  
dedisset, nostris Oratoribus per vim superbè  
obtrusit. Qua de re cùm nos Oratores nostri

B

ante

## E D I C T V M

ante suum è Moscouia discessum, facerent certiores, ad Magnum Moscouiæ Ducem, ex auxiliis nostris, internuncium misimus, Nobilem Petrum Haraburdam, iterata cum testificatione pensionis nostræ, colendæ cum eo pacis atq; concordiæ, idq; rei Christianæ consulendi causa, qua quidem in testificatione luculenter ostendimus, si cōmune idemq; vtriusq; nostrū iuramentum esse deberet, communem eo iuramento inter nos atq; omnes prouincias nostras pacem compræhendi oportere. Necq; enim honestati atq; rationi congruere, si ius iurandum, de pace inter duos suscepimus, bellum quacunq; de prouincia inter eos ipsos consequatur, quodquè sanctissimum concordiæ vinculum sit, in eo locus hostilitati relinquatur. Conuenire præterea nobis, tanquam Principibus Christianis, nos vt dictis factisq; omnibus, ita maximè religiosæ isti iurisiurandi affirmationi, constantiam adhibere. Curandum igitur else, vt ne qua inter nos fidei, rectæq; factorum nostrorum conscientiæ, vis asteratur. Quæ nostra æquitatis optimiç studij plena cohors.

## AD MILITES.

cohortatio, tantum abest, vt ponderis aliquid apud Moscum habuerit, vt internuntium nostrum, posteaquam admisisset audissetq; à se longe remouerit, & in modum captiui diu in uitum retinuerit, cumq; suos ad nos Legatos misisset, in Liuonia, milsis iam ad nos Legatis suis, arces nostras, ac sigillatim Vendam bis oppugnauerit, quod cùm per insignem ficeret iniuriam, effectum Dei præpotentis beneficio est, vt & exercitus ille, à nostris copijs, cum ad eas Suetica auxilia accessissent, deletus sit, & in potestatē nostram tormenta aliaq;, quibus nostra oppugnabat, cuncta peruererint. Sub id ipsum tempus Legatos Moschicos ad nos Cracouiam, in ipsum regni nostri quasi domicilium atq; sedem admisimus, cum eo tūm loco, permagna propè vndiq; gentium Christianarum, frequentia hominum versaretur, Legati extenorū regum Principum atq; nationum adesent: quorum in oculis, cùm eos audiendi causa ad nos in Senatum nostrum perhonorisce, vt fieri inter Principes par est, introduci curassemus, à fastu suo nostræq; dignitatis con-

B ij

temptio-

## E D I C T V M

temptione orsi, ad explicanda, quæ haberent, mandata, nulla cohortatione se passi sunt adduci, quod à Magno suo Duce prescriptum sibi esse significant, ne quæ apud nos uerba facerent, nisi nos ante, quæ à nobis superbe atq; ad derogandum dignitati nostræ, in quodā genere habendi sibi honoris flagitarent, præstissimus: quod cum nobis minimè committendum iudicassimus, neq; illi à fastuosa pertinacia se deduci sinerent, et si iterum atq; iterum ab illis, ut dicerent, contenderetur, indictis rebus è Senatu nostro, atq; adeò Cracouia discesserunt, atq; ita re vlla nō modo non cōfecta, sed ne affecta quidē diciue ab ijs cœpta permisimus, vt se in Moscouiam referrent. Quæ omnia, ut perspicuè testantur, quale nostrum extiterit suscipiendæ cum hoste illo concordiæ pacisq; studium, quod consulendi sanguini ac tranquillitati Christianæ desiderium, ita ostendunt planissimè, Magnum Moscouiæ Ducem eò potissimum incumbere, hoc agere, huc omnes sensus conatusq; suos conferre, ut nobiscum hostilibus iniurijs perpetuò dissidente,  
at,

## AD MILITES.

at, & cùm ditionibus nostris, tùm nomini amplitudinę nostrę modis omnibus derogatum velit. Misit ad nos postea per Nuncium suum litteras, quibus à nobis postulat, vt in ea indiciarum verba, quæ citra Oratorum nostrorum assensionem perscripta ostendimus, iuriurandum daremus, Legatis suis redeundi ad se potestas fieret, & si vilum nobis esset, Oratores ad se iterum mitteremus, qui de Liuonia secum agerent. Quam autem & ab æquitate, & ab officio dignitate nostrę alienum sit, ad ea nos iureiurando descendere, quibus non modo assensum nullum vñquam accōmodauimus, sed de quibus nos cogitationem aliquam susciperre non oportere intelligimus, quis non perspiciat? Qui enim nos eius crudelitati Liuoniam, Curlandię Ducatum, ditionesq; alias nostras, quæ Lithuanici iuris intermedię inter Liuonię & Prussię fines sunt, pmittere possimus, quæ nobis pro regio nostro Sacramēto, quod in nostra Regni inauguratione verbis solennibus dedimus, omni fide, cura, conatu tuenda, & ab aliena potestate, vitæ etiam nostræ discri-

B ij

mine

## EDICTVM

mine defendenda intelligimus? quod quidem officium nostrum, ut nobis antiquissimum cōmendatisimumq; semper fuit, ita alienæ ab eo voluntatis significationem nullam vñquam dedimus, neq; de ea Oratores nostri quicquam polliceri potuerunt, atq; adeò constat, minime pollicitos esse. Nam quæ illi in verba cautionis fuæ de inducijis perscriptæ iurarunt, ea ab omni istiusmodi concessione longè remota sunt. Quæ verò non modò pacis inter Principes feriendæ, sed inter priuatos etiam conuentionis alicuius ineundæ ratio, quæ vis, quæ necessitudo esse possit, vbi res alterius cupiditate atq; arbitrio geratur, alterius non modò nulla consensio voluntasq;, sed ne quidem suscepta aliqua cogitatio accedat? non vtrinq; voluntatis ad confessionem adductis, & litteris non tantum sentētiarum, sed propè verborum omnium similitudine perscriptis, negotium admisitretur? Quod quidem ita administrari & solere & oportere, hunc ipsum hostem nostrum fugere haud quaquam potest, vt non iuris æquitatisq; memorem, at ea tantum recordan-

tem,

## AD MILITES.

tem, quæ in sanciendis inducijs, & pace ferienda, inter Serenissimos Prædecessores nostros, atq; eius maiores, adeòq; cū illo ipso, ante hac suscepta atq; usurpata fuerunt. Neq; verò minus, quam superiora illa & hoc iniquum est, quod Magnus Moscouiæ Dux, nos in litterarum suarum verba iurare voluit : quæ quidem litteræ, et si ex voluntate atq; consensione vtriusq; nostrum, ac litteris Oratorum nostrorum congruenter scriptæ fuissent, tamen vt ille in cautionis suæ formulam iurafset, ita nos in nostram iurare cōueniret : tantum abest, vt à nobis in eas litteras iusurandum rectè possit exigere, quæ ab ipso pro arbitratu suo perscriptæ, ab animi nostri sententia, mandatisq; nostris, & Legatorum nostrorum assensu, plurimum dissident. Quæ omnia quām plena iniuriæ dolicq; fuerint, quis non facillime perspiciat? cuius quidem doli studia, ex eo se etiam ostendere, quod quæ cōmunicata, gesta, actaq; inter Oratores nostros, & eos, quibus agendi cum nostris Moscouiæ Dux negocium dederat, quæq; ab ipso Duce constituta fuerant, Legati

## E D I C T V M

gati eius, cùm ad nos Cracouiam venissent,  
profiteri atque explicare minime voluerunt.  
Ad has verò omnes fraudum technas, mox ar-  
mata vis, apertæq; iniuriæ acceſſerūt, cùm non  
modò Liuoniā alſiduis direptionibus ac bello  
infestum habere Moscouiæ Dux non define-  
ret, verum etiam in finibus Vitescensibus, in  
ipſa Magni Ducatus Lithuaniæ ditione, pro-  
pugnaculum nuper collocaret, ac per ſuos rei  
militaris Præfectos, illis etiam locis, ſubditos  
noſtrōs trucidaret alios, alios crudelissimē di-  
riperet, ſe dēniq; maximis delectibus habitis,  
magis magisq; contra noſ armaret: qua quidē  
de re, cum non modo ad noſ Illuſtris Cural-  
diæ Ducis, & Rigensium, ſimul etiam noſtro-  
rum in Liuonia præſidiariorum, quotidiani  
nuncij ac litteræ peruenirēt, ſed summa etiam  
imploratio opis defenſionisq; noſtræ accede-  
ret, nullo modo debuit potuitq; belli admini-  
ſtratio diutius à nobis differri. Proinde iuftiſ-  
simis iſtis grauiſſimisq; cauſis adducti, repudi-  
andas minimeq; iuramento noſtro confirman-  
das Moſci litteras, de inducijſ, ab ipſo arbitratu  
ſuo

## AD MILITES.

suo perscriptas nobis esse iudicauimus : quin-  
imò ipsas in Moscouiam ad Magnum Ducem,  
expolitis quibus id faceremus de causis , per  
internuncium nostrum remisimus , ac hosti illi  
bellum iustum legitimū p̄ indiximus , cùm  
iam tūm ille maximas contra nos copias ad  
Plescouiam coactas haberet. Quod ad Ora-  
tores attinet , quos remitti postulauit , et si qui  
neq̄ litteras , quibus fidem legationis suæ face-  
rent , nobis reddiderint , neq̄ vllam legationis  
partē explicarint , exploratorum potius quām  
Oratorum loco haberi à nobis meritò potuif-  
sent , tamen quod Oratoribus nostris in Mo-  
scouia significatum intellexissemus , Legatos  
eos ad nos missum iri , nihil illis in omni genere  
& honoris habendi , & lautia conferendi vlo  
loco ditionum nostrarum deesse siuimus , per-  
misimusq̄ , vt quod facere obstinauerant , nullis  
rebus apud nos expositis , se in Moscouiam re-  
ferrent , Quod verò postulabat , vt nostros O-  
ratores , qui de Liuonia agerent , iureiurando  
prius in eius litteras de inducij̄s dato , iterū ad se  
mitteremus , non perspicimus , quid agi de Li-  
uonia

C

## EDICTVM

uonia per Oratores possit , si ante iurati in eius conditiones ( quod exposcit ) non tantum de Liuonia atq; Curlandia, verum etiam parte nostrarum Lithuaniæ ditionum , quæ mediæ Curlandiam ac Prusiam dirimunt,decederemus. Minime igitur nobis commitendum esse intelligimus, vt noua legatione, nihil aliud, quam Provinciarum nostrarum iacturam,ac nominis nostri indignitatem aliquam incurramus. Intelligi atq; adeò cerni arbitramur, quale nostrum fuerit studium, vitandi omnem Christiani sanguinis profusionem,quod nostrū pacis tranquillitatisq; desiderium, pro quo quidē nos, ijs rationibus, quæ supra expositæ sunt, experiri pacis conciliationem cum hoste illo contendimus,atq; omnia indignitatum genera, quæ Maiestati nostræ regiæ ab Magno Moscorum Duce allatæ essent, libenter tranquillitati publicæ atq; saluti , sanguini, fortunisq; hominum Christianorum condonauimus: verum his nostris omnibus studijs ad concordiam pacemq; propensis, tantum abest, vt quidquam ab eo æqui boniç consecutisimus,vt ille

GIPONI

hoc

## AD MILITES.

hoc magis effrenatæ superbiæ atq; impotentie  
animi sui indulserit, & quæ ad contumeliam  
nostram, nostriq; Regni & Magni Ducatus Li-  
thuanie detrimentum pertinere possent, su-  
sceperit. Cui quidem rei, ut modum aliquan-  
do finemq; sponte sua facturum illum despere-  
mus, facit inueterata iam perpetuaq; eius cum  
Serenissimis prædecessoribus nostris simili ge-  
nere agendi ratio, quam quidem ex ea iniuria  
æstimare licebit, qua Diuū Sigismundum Au-  
gustum Serenissimum prædecessorem nostrū  
affecit, cùm missos ad se ex ordine Senatorio  
splendidos Oratores, Palatinum Inouladisla-  
uiensem, & Castellatum Samogitiensem con-  
tumeliosè tractauit, & modis indignissimis cō-  
tra gentium iura violauit, hominem Nobilem  
ex Serenissimi prædecessoris nostri aulicis spo-  
liauit, & cùm res quasdam preciosiores inspi-  
ciendi causa accepisset, superbe retinuit, mér-  
catoribus qui vnā venissent, magnam mercium  
vim eripuit, equos in Oratorum illorum con-  
spectu productos ferro dissecari curauit: à qua  
indignitate vindicanda, cùm Diuum illum an-

C ij

teces-

## E D I C T V M.

tecessorem nostrum mors ( quæ breui subse-  
cuta est ) exclusisset, nos per Oratores nostros  
postulauimus, vt iniurias eas id temporis illa-  
tas, sarcire studeret, cui quidem postulationi  
nostræ, nullum animus eius, iniuriæ pertinaci-  
simus, reliquit omnino locum. Quid illa, quæ  
Serenissimo antecessori nostro Henrico Regi  
per litteras de pace vtrinque retinuenda promi-  
serat? & contempta promissi fide, non ita mul-  
tò post capta Pernauia, alijsq; Liuoniæ arcibus  
in potestatē suam redactis violauit? Qua qui-  
dem fidei vanitate, maiores etiam eius erga Se-  
renissimos prædecessores nostros prope om-  
nes usos esse perspicimus. Neq; enim obscura  
est plurimum, qui ista verè memoriæ prodidè-  
re consensio, & maiorum istius Ducis Mosco-  
uiæ litteris, quæ in tabulario Magni Ducatus  
nostræ Lithuaniæ seruantur, cōprobari potest,  
quam sœpè Magni Moscorum Duces Serenif-  
simis Poloniæ Regibus, pace suscepta, ac iuris-  
jurandi religione sancta, ad tranquillitatis fi-  
duciam adductis, & contra barbaros nomi-  
niq; Christiano infestos populos bella geren-  
tibus,

## AD MILITES.

tibus, fidem impie fregerint, pacta omnia vio-  
lauerint, & redintegrato bello, vel à necessaria  
prædecessores nostros contra Ethnicos defe-  
sione, vel pulcherimis pro repub. Christiana  
cœptis reuocarint, & obsistere suis iniurijs cœ-  
gerint. Quorum maiorum in dictis factisq; in-  
constantiam, fraudem & insidias, hic Ioannes  
Basilij filius, hostis noster, non modò omnem  
in se admisit, verum etiam auxit, idq; tūm ma-  
ximè egit, cùm litteris missis ad Diuum Sigif-  
mundum Augustum Serenissimum antecesso-  
rem nostrum, de securitate Oratoribus præ-  
standa, qui ad se de pace concilianda mitteren-  
tur scriptis, subitò Polotiam inuasit occupa-  
uitq;, cōsimili fraude erga nos vsus, cùm postea  
quām nobis fiduciā pacis attulisset, repente Li-  
uoniam armis oppugnauit, & tamen nos, re-  
gnum nostrum Poloniæ, Magnum Lithuaniæ  
Ducatum à defensione eius prouinciæ exclu-  
dere instituit. Quandoquidem igitur spes nul-  
la nos tenere amplius potest, ad mentem fidēq;  
meliorē Magnum Moscorum Ducem se vn-  
quām recepturum esse, quinimò iniurias vete-

C iij

res

## E D I C T U M

res recentioresq; nouis quotidiè magis magisq; accumulet, certæ pacis fiduciam nullam arte-  
rat, omnia ad nos circumuenientium derogan-  
dumq; cùm nomini tūm ditionibus nostris su-  
scipiat, nos adhibitis atq; adeò cōsumptis om-  
nibus studijs nostris, quibus fida atq; æqua inter  
nos pax conciliari, & rei sanguiniq; Christiano  
confulti posset, expleto iam omni officio R̄egis  
Christiani, hanc rem & Deo præpotenti, ocul-  
is hæc suis iustissimis aspicienti, & legitimæ  
vindicationi permittendam iudicamus. Quo  
nomine remissis illis insidiosis induciarū litte-  
ris, bellum iustum legittimūq; Ioanni Basiliū fi-  
lio, Magno Moscorū Duci denūciauimus: quo  
bello multiplicem nobis, cùm ab ipso Magno  
Moscorum Duce verbis litterisq;, tūm ab eius  
Legatis factam cōtumeliam, allatasq; subditis  
nostris acerbissimas multis iam annis iniurias,  
& detrimēta omnia, quæ regnum nostrū Ma-  
gnusq; Lithuaniae Ducatus accepit, armis pro-  
pulsare & vindicare in animo habemus. Ut ve-  
rō perspicuum sit omnibus, nos ad eorum, qui  
**Magno Moscorum Duci parent, hominū Chri-**  
stianο-

## AD MILITES.

flianorum calamitatem aut sanguinis profusio-  
nem minimè ferri, declaramus nos ita armis  
nostris moderaturos esse, vt ne ijs (quāta maxi-  
ma cura ac studio caueri poterit) quisquam vi-  
cletur, qui nō aut in præsidijis, aut acie suo peri-  
culo ppugnandas hostis nostri partes suscep-  
rit. Nam vt ab vno Magno Duce causas om-  
nes, quibus in arma hæc impellimur, profectas  
esse intelligimus, ab vno nos honorem digni-  
tateꝝ nostram oppugnari, ac puincias nostras  
illius vnius libidine appeti ac sitiri p̄spicimus:  
ita in vno illo vindicare omnia, vnius refrena-  
ta audacia grassandiꝝ atrocitate, in posterum  
tranquillitati publicæ paciꝝ Christianæ ( si fi-  
eri vlla ratione posset) consulere desidera-  
mus. Quæ cùm ita sint, spe vel potius fiducia  
magna sumus, & DEVM OPT. MAX. quod bel-  
lum grauissimis iustissimisq; atq; adeò perne-  
cessarijs de causis iniuiimus, nobis, exercitibus  
nostris, ac REIPUB. vniuersæ, quam obtinemus,  
benè & fæliciter fortunatum esse, & Princi-  
pes Christianos, adeòq; omnes homines, qui ista  
accipient, facile arbitraturos, nos ad bellū hoc  
perma-

## E D I C T V M

permagnum non temere neq; vlla pfundendi  
sanguinem Christianum ( cui prodeesse, consu-  
lere, cauere semper studuimus ) cupiditate fer-  
ri, sed ad ea hostilibus tot tēporum per sūmam  
atrocitatem crudelitatemq; exercitis iniurijs  
impelli, nostra dignitate, & regni nostri Ma-  
gniq; Lithuaniæ Ducatus cæterarūq; prouin-  
ciarum nostrarū statu, & subditorum nostrorū  
salute, fortunis, vita, sanguine, quem hostis ille  
truculētissimus iam nimiū diu immaniter hau-  
sit, necessariò cōmoueri, consilio iudicioq; om-  
niū regni nostri Magniq; Lithuaniæ Ducatus  
ordinū duci, deniq; nos fidam stabileq; tranquil-  
litatē, & publicam inter populos Christiani no-  
minis pacē concordiamq; spectare. Quæ qui-  
dem belli nostri causæ, quæq; animi consiliijq;  
nostrī ratio, et si de militum nostrorum studijs,  
alacritate, fortitudine, fide, nobis dubitationē  
nullā relinquit : hortamur tamen, vt animum  
ad res nostro ductu in hostē hunc nostrum ge-  
rendas magnum forteq; adferant, existimentq;  
& gloriæ & fælicitatis summam in eo potissi-  
mum versari, si pro tam iusta honestaq; causa  
dimice-

A D M I L I T E S.

dimicetur: subditi nostri diuturnas grauesq; iniurias hostiles, vel à se vel ciuibus suis adhuc per pessas, hoc tempore pro more, virtute, rebusq; gestis maiorum suorum, & vindicādas & in omne tēpus sibi depellendas statuant: extranei pro vicinorum salute, suam in discrimē vocare, fortissimeq; armis cōtendere pulcherimum, necessitudini quæ vicino ad vicinū est conuenientiſsimum, & delere p̄ximi parietis incēdium, suæ suorumq; securitati vtile existiment: omnes sibi tām iusto in bello sūma fortium factorum studia esse adhibēda iudicent: quorum hoc maior laus atq; gloria quemq; cōsequetur, quò in grauiore hoc maioreq; bello contra crudelē vniuerſi propè generis humani hostē nobiscum versabitur. Nos profecto cuiusque militum nostrorū virtutē, fidem, operam, conatum in omni gene-re p̄clarē factorum, ea benevolentia, gratia, munificentia p̄sequemur, vt neminem gestę abs se fortiter rei pœniteat, omnes intelligent, nos cuiusq; industrie, fidei, fortitudini sua præmia ornamentaq; libenter tribuisse. Suiri die duo-decima Julij. A N N O D O M I N I , M . D . L X X I X  
REGNI verò nostri anno Q V A R T O . D



EDICTVM REGI-  
VM DE SVPLICATIONIBVS  
OB CAPTAM POLOTIAM.



STEPHANVS  
DE I GRATIA REX PO-  
LONIÆ, MAGNVS DVX LI-  
thuaniae, Russiae, Prussiae, Ma-  
souiae, Samogitiæ, Liuoniæ, Kijo-  
uiæ, Volhyniæ, Podla-  
chieph, &c. Princeps  
Transyluaniae.



NIVERSIS ET singulis,  
Reuerendissimis, Reuerendis,  
Magnificis, Generosis, Regni  
nostrri Consiliarijs, Dignitarijs,  
officialibus, nobilibus, atph a-  
lijs ordinibus omnibus, syncere  
& fidelibus nobis dilectis, gratiam nostram re-  
giam. Reuerendissimi, Reuerendi, Magnifici,  
Gene-

## EDICTVM DE

Generosi syncere & fideles nobis dilecti,  
Quod superioribus proximis omnium Reipub:  
ordinum comitij decretum fuit , vt bellū hoc  
anno contra Magnum Moscorum Ducem ad-  
ministraremus , curę nobis pro regio nostro  
munere , nostroq; in Rempub: studio esse siui-  
mus : & contractis exercitibus nostris, compa-  
ratoq; aliquo, partim contributionum pecu-  
nijs , partim ( quod contributionum pecuniae  
minime satisfacerent ) alijs rationibus belli ap-  
paratu, extrema Iunij die Vilna ad copias no-  
stras recensendas lustrandasq; Suirum discessi-  
mus. Quo quidem in loco, multa nos diligēsq;  
deliberatio tenuit , quorūsum nos potissimum  
cum exercitibus nostris in hostem cōserremus,  
quidq; rectissimē , & quām maxima cum vtili-  
tate Reipub: nobis ante omnia, bello aggredi-  
endum esset. Rebus verò omnibus in accura-  
tam considerationem vocatis, ex iuditio & Se-  
natorum nostrorum , & aliorum militarium  
virorum , qui nobis aderant , eam tandem in  
sententiam descendimus , vt primam nostroru  
armorum vim , ad Polotiam oppugnandam

con-

## S V P P L I C A T I O N I B V S.

conferri oportere concluderemus : quod quidem ea arx ceruicibus Magni Ducatus nostri Lithuaniae , atq; adeò ipsi ciuitati nostrae Vilnensi , nulla alia firmiore munitione interiecta immineret , ex qua arce , nobis in alijs remotioribus Regni locis occupatis , oblata occasione sumam non modò Lithuaniae diripiendæ , sed Vilnae etiam adoriendæ , facultatem hostis habiturus videretur . Faciendū præterea necefario nobis visum est , vt cum bellum hoc , non modò rerum cōmunitatis Reipub : recuperandarum causa , sed hostem quam longissimè remouendi , grauiusq; cōercendi gratia susceptum habeamus , expeditionibus nostris , in his potissimum regionibus , maxima anni parte , aut frigoribus grauissimis , aut imbribus assiduis militie infestis , tum quoq; ob vastitatem difficilis , propinquiores aliquam sedem & quasi officinam , quam ipsa Vilna esset cōpararemus : ex qua quidem officina , quammaxime integrū recentemq; militem , penitus in solum hostile ducere , & belli instrumenta impedimenta , minore cum negocio ad res cum celeritate felicitate

D ij licita-

## E D I C T U M D E

licitateq; gerēdas transferre possemus. Quanta enim cum difficultate ac detimento, Vilna illud facturi essemus, breui hoc itinere, quo cū exercitu nostro pgressi sumus, magna nostra cum molestia cognouimus. Accelsit & illud, quod hac arce, (qua firmiore maioremq; Moscus nullam habet) expugnata, de alijs retinendis hostem eò magis diffidere, & occupandis militem nostrum sperare doceremus. Tantum verò abfuit, vt nos eò deterrei oportere iudicaremus, quod locus ille ab omni opere bellicq; apparatu firmissimus esse perhiberetur: vt hoc potius de principio nobis, recentibus militum nostrorum viribus animisq;, quām ijs militiē diuturnitate afflictis tentandum existimauerimus. Cūm igitur nihil factu potius vtiliusq; iudicatum esset, nos factis ab inuocatione opis diuinę auspicij, Suiro primūm Illustrē Nicolaum Radiuillum Palatinum Vilnensem, cum aliquibus equitum peditūq; Lithuanorum copijs, & certo Vngarorum numero, cūm Generoso Gasparo Bekes, Polotiam præmisimus, itinerum claudendorum causa, ne quid

D iij

à Ma-

## S V P P L I C A T I O N I B V S.

à Magno Moscorum Duce præsidij accederet: quo et si maioribus itineribus in magna etiam viæ difficultate peruenisset, tamen cum iam ante nostras ad hostem litteras misissimus, quibus bellum ei diligent cum explicatione caufarum denunciauimus, biduo antequam nostræ illæ copiæ ad Polotiam accessissent, equitum & peditum aliquid ab hoste in arcem immisso fuit: adhibita verò à Palatino Vilnësi, posteaquā propinquo ad arcem loco consedisset, ea diligentia est, ut post nullius subsidij hostilis accessio facta sit. Nos cum exercitu nostro, & tormentis impedimentisq; bellicis, in summa viarum iniquitate, quam pluuiarum assidua magnitudo, & istorum agrorum natura effecit, minoribus itineribus subsequuti fuimus: interea à copijs nostris, quæ præcesserant, arces tres, Cofiana, Crasna, & Sithna per excursionē celeriter occupatæ & incendio deletæ sunt. Undecima Augusti die, proximè Polotiam cum copijs omnibus nostris mouimus, & propinquo ad mœnia loco castra metati sumus, arcem ciuitatemq; tribus locis obsidione cinximus, ea-  
demq;

## EDICTVM DE

demque die locis omnibus munitiones fossasque  
propius hostem agere iussimus. Postridie ci-  
uitatem, non mediocriter fossis, & aggere, &  
propugnaculis, & parietibus densissimis, tum  
quoque præsidio firmam, ea maxime de causa,  
quod illo loco nos à propinquiore ad arcem  
accessu prohiberet, incendimus, ac totam pau-  
cis horis deleuimus. Tum longius munitioni-  
bus nostris ad ipsas arcis portas promotis, om-  
ni conatu in arcem expugnandam incubuimus.  
Ostenderat vi sua præpotens Deus, in manu  
sua rerum gerendarum potestatem esse, & assi-  
duas pluuias pluribus diebus ita immiserat, vt  
& opere militum maiorem in modum impedi-  
rentur, & oppugnandi ratio etiam atque etiam re-  
tardaretur: constitit tamen militi nostro in ma-  
ximis etiam incōmodis singularis animorum  
ad omnia obeunda tollerandaque ardor, sic vt in  
summa pluuiarum iniquitate, altissimoque luto  
nihil prætermitterent, quae ad oppugnandum  
pertinere possent, hostibus contra omnes no-  
stros conatus acerrimis animis, & incredibili  
tormentorum vi, ita dies noctesque propugnati-  
bus,

## S V P P L I C A T I O N I B V S.

bus, tanta peruicatia, & flamas à nostris illatas extinguentibus, & vim omnem depellentibus, vt se tormentorum telorumq; nostrorum iniurijs certatim offerrent, & succumbentibus alijs alij confertim succederent, ostenderentq; Moschos arcium defendendarum vi atq; ardore cœteris omnibus gentibus antecellere. Respexit verò tandem nos sua benignitate clemētissimus Deus, concessitq; vt quæ prima nobis paulo serenior dies vicesima nona Augusti illuxit, ea incendium à milite nostro arcii illatū sit, summa cum contentione atq; discrimine, cū se miles noster in fossas dimittere, & Polottam flumen superare, deniq; arduum cliuum cui impositum pugnaculum erat subire, & manibus materiam ignemq; inter infestissima creberri- maq; hostiū tela inferre necesse haberet: quod incendium cum vehementius exarsisset, & munitionis anterioris aditum aliquem patefecisset, teneri militum nostrorum ardor non potuit, quin per ipsam flammatum irrumperet, atq; hostem feriret, à quo tamen cœpto, cum propugnatione hostili, tum maxime flammæ vi re-

E

iectus

## EDICTVM DE

iectus est, paruo cum nostrorum, neq; amplius  
viginti septem desideratis, pluribus tamen vul-  
neratis, hostium verò ad ducentorum interitu.  
Dederat aliquam hostis eadem die deditio-  
nis significationē, quam non seriam fuisse animad-  
uersum fuit, cum nouis se munitionibus, flam-  
mæ altitudine nostris conspectum eripiente,  
circumdare deinceps cognitum esset. Nulla i-  
gitur cum intermissione oppugnationis vim  
omnem adhibendam, nullum hosti quiescendi,  
aut se firmius muniendi spacium concedendum  
iudicauimus, posteroq; die ignem in alias muni-  
tionis partes miles, in quo equites etiam erant,  
qui misso equo in pedes descenderant, intulit:  
quo cùm iterum aliqua muri pars deleta esset,  
& cliuū in quo ppugnaculum antea igne absu-  
ptum erat miles noster tenuisset, ac deinde ad  
latus hostiliū fossarum ac munitionum illa par-  
te deleta tumultario opere factarum, fossas ac  
munitiones ducendo præsidarios circumire fe-  
re cœpisset, atq; sic in potestate hostis esset, nos  
& sanguini Christiano parcendum, & operam  
dādam rati, vt arce quam maxime integra cum  
tor-

## S V P P L I C A T I O N I B V S.

tormentorum aliorumq; belli instrumentorum  
apparatu potiremur, quæ hostis ipse ad extre-  
mum iniecto igne delere posset, facta omnibus  
vitæ gratia permisimus , vt qui nobis militare  
vellent ( quorum qui velint magnus sanè est  
numerus ) fortunas omnes suas incolumes con-  
seruarent , atq; stipendia nostra mererent, qui-  
bus redeundi in Moscouiam animus esset, id no-  
bis permittentibus,atq; omnem securitatē præ-  
stantibus facerent. Cyprianus Archiepiscopus  
Velicolucensis Græci ritus, à quo & Polo cen-  
sem Episcopatū coniunctim administrari Mo-  
scus voluit, & Palatini Basilius Iuanouicz Mi-  
kolinski Telatovvski, Demetrius Michalo-  
vicz Sczerbati Obolinski, Matthæus Iuanovicz  
Rzovvski, Juan Hrehorovicz Sufin, Petrus I-  
uanovicz Volinski, Lukian Tretiakovv Rakovv  
filius scriba, qui partim præfuere partim  
in arce fuere,cū se sponte dedere, ac gratiæ no-  
stræ permittere nollent, captos in custodij s ha-  
bemus, & arcem ipsam præsidio nostro inimisso-  
iam obtinemus. In qua quidem arce , qui eam  
defendissent & arma tulissent , vltra sex millia

E ij fuisse

## EDICTVM DE SVPLICA.

fuisse compertum est. Nostri cum ingressi esset  
passim magnum cadauerum insepultorum nu-  
merū repererunt, tum tormentorum ac pulue-  
ris tormentarij globorumq; tantam vim depre-  
henderunt, quanta in arce aliqua Christiani  
orbis his rebus instructissima posset reperiri.  
Quos quidem rei gestæ successus, vt imprimis  
ad DEum præpotentem referimus, ita illi su-  
ma animi pietate agimus gratias, ac sync: &  
fide: vestras hortamur, vt easdem pro bene ge-  
sta Repub: agant, simul etiam comprecentur,  
vt quæ gerenda supersunt, quæq; in hostiē hunc  
deinceps etiam suscipiemus, itidem clementis-  
sime fortunare dignetur. Quod illum pro sua  
benignitate, & causæ quæ hæc nobis arma in-  
duit bonitate facturum confidimus. Nos quidē  
ad res pro cōmuni Repub: gerendas, omne a-  
nimi studium, curam, laborem, operam, sanguinē,  
adeòq; vitam nostram cupide semper prom-  
pteq; afferemus. Datum ex arce nostra Po-  
locensi die vltima mensis Augusti. A N N O D O-  
MINI, M.D.LXXIX. Regni vero nostri Anno  
Q VAR TO.  
STEPHANVS REX ssct.

RERVM POST CA-  
PTAM POLOTIAM CONTRA  
MOSCVM GESTARVM NARRATIO.



Apta Polotia, & iam ante in vi-  
cino arcibus tribus, Cosiana,  
Crasna & Sitna deletis, tres  
omnino arces, Turoulia, Soco-  
lum & Sussla in Polocensi diti-  
one hostiles tupererant, quas hosti relinquere,  
neq; ex belli suscepti cōfilio, neq; dignitate sua,  
neq; rei abs se gestæ fortuna Rex esse iudica-  
uit. Turoulia quatuor supra Polotiam arcem  
miliaribus, ad Dhunam flumen, quo loco illud  
Turoulia amnis illabitur, sita est, sic vt duorum  
amnium confluxu maxima parte compræhen-  
datur, quaq; in continentem patet, inter utri-  
usq; præterlabentis fluuij ripas, lacum trāsuer-  
sum, tanquam obicem, obiectū habeat. Quod  
inter Polocensem arcem, atq; inter Vlam, Vi-  
tepsium, aliasq; arces & ciuitates, altius in Dhu-  
næ ripis sitas, quæ semper in potestate Regum  
Poloniæ retentæ sunt, media Turoulia inter-  
E ij  
eset,

## RERVM CAPTA POLOTIA

esset, facile à Regijs castris ad Polotiam positiis, cōmeatum exclusit, qui commode ex locis superioribus poterat importari: quæ res non mediocriter in exercitu annonæ caritatē atq; adeò inopiam auxerat. Qua de causa, circumcessa primum Polotia, Franciscus Zucus à Nicolao Radiuilo Palatino Vilnensi, tentandæ certis cum copijs per celeritatem rei causa ad arcem Turoulam missus est: Verum quod & præsidio firmo, & defensioni diligenter intente locus teneretur, & pauca minoraq; bellii tormenta Zucus secum traxerat, effici ex sententia nihil potuit. Socolam ab arce Polocensi quinque miliaribus ea via distantem, quæ Septentrionem versus rectissima Plescouiam ducit, duorum itidem concurrentium fluminum, Dryssæ & Nisciæ, complexus continet: ea in arce præter vetus præsidium, quod tuendi Polotiam aditus causa firmū semper inerat, Theodorus Basilij F. Seremetus, & Barissus Basilij F. Seinus, Andreas Palecius, Michæl Georgij F. Lycus, Basilius Criuborsius Palatini, clari cum propinquitate Moscouiæ Ducis alij, tūm

G E S T A R V M N A R R A T I O .

tum rebus antea gestis omnes copiarum Præfecti , cum Magno Moscouiticæ nobilitatis ac sclopetariorum numero confederant, postea- quam se ab aditu Polocensis arcis, primùm à Palatino Vilnensi obsefisis itineribus, mox ipsa obsidione Regia exclusos esse intelligerent: ac- cesserat hūc etiam Georgius Bullahacus cum duobus millibus sclopetariorum , partim Du- nensium, partim Voliensium, qui ad Dhunæ & Volhiæ fontium paludes cb perpetuas cum Tartaris dimicationes, cœteris belli vſu ac iau- culandi peritia se facile præstant. Quod hi o- mnes magno discrimine nostrorum ex propin- quo castris imminerent, dum oppugnatur Po- lotia, Lithuanicæ quædani copiæ primum, Ioanne Voliminscio, deinde Christophoro Ra- diuilo, qui in Lithuania Regi à poculis est, di- micandi studio Socolam excurrunt: sed quod hostis arce & munitionibus ppè arcem extru- ctis, aut propinquo tormentis suis spacio in tu- to se teneret, velitationibus tantum, non nullis utrinq; desideratis, res gesta est. Vtramq; arcem Rex occupata Polotia iustis copijs oppugnan- dam

R E R V M C A P T A P O L O T I A

dam ratus, Nicolaum Mielecium Podoliæ Pa-  
latinum, sūmum copiarum Polonicarum Præ-  
fectum, cum equitatu Polonoī stipendia me-  
rente, cumq; peditatu Polonorum, ac Germa-  
norū cohortibus Socolam mouere, Vngaro-  
rum copias Turoliam accedere iubet : ipse  
vt medio loco omnem in partem casumq; in-  
tentus esse posset, motis trans Polotiam ca-  
stris, ijsq; secundum flumen Dhunam meta-  
tis ( quod pristinum castrorum locum, obsi-  
dioni quidē opportunum cum ad cingendum  
maxima ex parte arcem, tūm ad prompta mu-  
nitionibus omnibus, ex quibus miles oppugna-  
bat, auxilia afferendū, assidui imbres iam ante  
iniquissimū, & valde quām cœnosū effecerāt )  
ad Polotiam permanet, curatq; quod ad arcem  
Polocensem, qua munitiones aut flamma con-  
flagrarent, aut tormentis verberatæ vitium fe-  
cerant, instaurandum pertineret : simul etiam  
arci Palatinum præficit Nicolaum Doroho-  
staiscium, in quem iam ante, Regno primum  
inito, non inani omine ius nomenq; eius Magi-  
stratus contulerat : hunc ipse in possessionem  
mit-

## GESTARVM NARRATIO.

mittit, præsidium iustum imponit, & quibus circum locis miles finibus tuendis rectè collo-  
cetur constituit, templi etiam, quod monumē-  
tum diuinæ ad victoriam opis esset, ædificati-  
onem decernit. Interea dum quæ opus erant  
ad Socolæ & Turoliæ oppugnationem expe-  
diuntur, & miles vasa colligit, visum est Palati-  
no Vilneni, de Turoulia leuioribus copijs ex-  
periri, & quid hostibus in recenti consternati-  
one fiduciæ esset tentare: mittitur cum aliquo  
numero equitum expeditiorum armaturæ le-  
uioris, quos Cosacos nominant, Constantinus  
Lucomscius Vlensis præfetus, quem Turo-  
ulienses præsidiarij conspicati, cùm pauor ma-  
iorem quam pro numero militum speciem co-  
piarum obiecisset, exercitum vniuersum ades-  
se rati, per auersam portam se propere omnes  
ejectiunt, ac fuga euadunt Palatinis suis desertis,  
qui cùm arcem sibi non deserendam putarent,  
ac soli in ea permanerent, ad quartam Septem-  
bris diem cum arce & belli apparatu ac cōme-  
atu omni Regiam in potestatem peruererūt.  
Arci ita occupatæ miles ille, qui cœperat, pre-  
F fidio

## R E R V M C A P T A P O L O T I A

fidio relinquitur : is dum inter ligneas muniti-  
ones ac domos tæda ædificatas indiligenter  
ignem habet, tormentisq; maiorib; gratulati-  
onis & læticiae causa iaculatur, temere incédio  
causam præbuit : quod sublatum paucis post  
diebus, quām capta esset, arcem deleuit, vt non  
minore celeritate, quam occupauerat, Turo-  
uliam miles amiserit : quod quidem hoc ini-  
quiore animo à Rege acceptum est, quò præ-  
fidio hostili Sussam etiam tūm obtinenti, Tu-  
roulia nostræ potestatis facta, omnem subsidij  
aditum & cōmeatus accipiendi spem, certius  
eripere potuisset. Interea rerum Palatinus  
Podoliæ Socolam ( à qua Dunenses cohortes  
fama aduentantis exercitus permoti contra  
imperium Præfectorum, vt est genus illud mi-  
litum leue & insolens disciplinæ, iam ante in  
Moscouiam redierant ) cum copijs progredi-  
tur, & Dryßlam flumen imbribus proximis ad-  
modum redundantem, ponte subitario opere  
effecto, transmittit, hoste quod facere in pro-  
cliui erat, nihil repugnante, qui in aduersa ripa  
ociose tantum inequitans, inani metus faciendi

studio

## GESTARVM NARRATIO.

studio,clare vt exaudiri à nostris facile possent, subinde inter se sciscitabantur , adessent apud se Astracanorum,adessent Casanorum copiæ, quas alter adesse magna itidem voce respondebat. Flumine superato Palatinus nulla cum mora proprius hostem mouet. Quà accesse- rat inter vtrumq; flumen non ita magno ab arce interuallo sylua est , in qua maximam equi- tatus partē tendere iubet,peditatui imperat,vt munitiones,in quibus versarentur,& tormenta dirigerent, fossa atq; aggere subito efficiant: quas Poloni secundum Nissam,Germani iux- ta Drissam ita ad arcem perducunt,vt cùm iu- sto iam ab ea spacio abessent, transuersæ ab Nissia Dryssam , itidemq; ab Dryssia Nissam versus promouerentur, atq; opera vtriusq; na- tionis commiterentur: vltra Nissiam amnem minorem,quà promptum hosti effugium pate- bat, Joannes Zbarasius Palatinus Braslauiensis cōsistere & curare iubetur. Munitionibus per- fectis, ac tormentis, vt visum erat, collocatis, cùm iam tūm in vesperum dies vergeret, qui tormenta administrant, periclitari rem globis

F ij

can.

## R E R V M C A P T A P O L O T I A

candentibus instituunt, tribus tantum in hostiles ditiones perlatis, cùm alij alijs locis periculum incendij afferrent, & ijs restinguendis hostis detineretur, tertius eo loco, quo nascens primum fumus, mox flamma ab hoste non facile potuit depræhendi, vires cœpit: ab hoc incendium ortum, cum magnam hostilium munitionum partem subito complexum esset, hosti summam defensionis desperationem attulit. Quocirca ut perditis trepidisque rebus, & flamma se iam longius latiusq; fundente, pars magna hostium globo temere facto, porta, quæ meridiem versus ad Nissam vna patebat, confertim erumpunt, quibus ex proximis munitionibus Poloni impigerè occurunt, & obsistūt: perducitur eodem propere signo sublato Germanorum sclopetariorum cohors, sic hostis in arcemflammamq; reijcitur, quem dum nostri magna vi premunt, se atq; signa portæ arcijq; inferunt: dabat mox hostis intra arcem desperatis rebus magnas cùm armis tūm verbis dedēdi significationes, quas cùm miles Germanicus Russicæ linguae nesciens, præterea Polo-

## G E S T A R V M N A R R A T I O .

Pologensis præsidij crudelitate , qua immanis-  
fima in captiuos omnes ac potissimum Germanos  
fuerant, irritati, minime acciperet, cædēq;  
accerrime misceret, ille desperata salute totis  
viribus contra dimicat , quæq; supra portam  
custodiæ erant, cataractam è turri portæ im-  
minentem in irrumpentes deijciunt, sic nostros  
receptu alios, alios aditu subsidioq; excludunt :  
atrox inde vtrinq; pugna fuit, æquata vtrorūq;  
desperatione ob incendij vim , quod vndiq; se  
circumfuderat, ac pluribus locis dimicantes  
inter se pari interitu victi ac vincentis extin-  
guebat. Ad dexteram arcis partem per muni-  
tiones ostium fuit, ad quodqui nostrorum er-  
rando perlati sunt, integri euasere. Interea fo-  
ris milites, quanta vi maxima possunt catarac-  
tam moliuntur, atq; opere magno perfringūt,  
patefacta via, qui nostrorum supererant, saucij  
propè omnes atq; ambusti, pariter cum hoste  
erumpunt, inferunt se integri alij prædæ ex  
ipsa flamma rapiendæ causa. Pars magna hosti-  
um aut in munitiones aut stationes Germano-  
rum incidit, qui omnes per iram militarem &

## R E R V M C A P T A P O L O T I A

Iinguæ ignorantiam imperfecti sunt, in his Borisius Seinus, Andreas Palecius, Michael Lycus, Basilius Criuoborscius Palatini cedere. Quibus in Polonorū potestatem pervenire contigit, plæriq; omnes, cum qui aliquo aut munere aut numero fuissent, pro se quisq; nomen ederet suum, facile apud linguæ intelligentes seruati sunt, ac captiui habentur: quorū in numero Seremetus est, ut rerum gestarum fama, ita & corporis specie vultuq; & animi sermonisq; cultu cæteris præstantior, & Mesoia-dus Dunensium aliquod cohortium Præfectus, qui post militum etiam suorum discessum, cū cæteris præsidiarijs in arce permanserat: arx ipsa, cum iam incendio occurri non posset, conflagrauit. Hostium ad quatuor millia cæsa, quos ex lectissimo, & quidem prætoriano milite Magni Dicis fuisse, et si ex captiuis cognitū est, tamen etiam ex ipsa corporum stratorum forma & proceritate, animisq; perditis in rebus adhibitis, tum prædæ ratione potuit intelligi: in qua quidem præda maior & pecunia, & vestis preciosæ, & aliorum ornamenti

## GESTARVM NARRATIO.

torum numerus fuit, quām vt gregarij militis  
fuisse videri posset: captiuorum ea multitudo  
est, vt & penes præfectos copiarum permulti  
sint, & Polonorum militum propè sint nulli,  
qui in potestate non singulos alij, alij plures  
habeant. Sussæ oppugnationem suscipere,  
quām difficilem & spacioſi lacus, & palustria  
circum loca, & Autumni ipsius tempeſtas redi-  
tura erant, temereq; militem iam ante ma-  
ximis incōmodis affectum nouis periculis obij-  
cere, Regi viſum non eſt, cūm potiſſimū ar-  
cem eam penitus Lithuaniam versus ſitam, &  
ab omni ſuorum ſubſidio, & commeatus confe-  
quendi, potestate excludam ( vt viſ nulla adhi-  
beretur) ſpōte dedituram ſeſe non dubitanter  
existimaret. Itaq; præſidia tantum militum  
ſtipendiariorū circumquaq; in ſtatuis dispo-  
nit, quæ Moſcœ ab aditu ad Sufſanos arce-  
rent. Neq; ſefellit ea Regem existimatio: Nam  
& ipſe Moſcouiæ Dux, diſfidens Sufſam amif-  
ſa Polotia retineri poſſe, ſexta primū, tūm i-  
terum decima septima Septembriſ die man-  
data ad Petrum Theodori F. Coliceum, Pa-  
latinum

## R E R V M C A P T A P O L O T I A

latinum Sussensem ac præsidiarios omnes de-  
derat, vt templi imaginibus & librīs, omniq; ap-  
paratu sacro in terra defossis, aut quacunq; a-  
lia cura adhibita, ne in hostium potestate per-  
uenirent, arcem incenderent, bellica tormenta  
ac puluerem tormentorum omnem igne dele-  
rent, tūm operam, qua euadere possent, dili-  
genter darent, ac saluti suæ consulerent. Hæc  
mandata cūm (quò certius perferrentur) per  
plures nuncios Sussam misisset, nonnulli eo-  
rum in arcem perueniunt, vnum à Regio mi-  
llite interceptus, ad Palatinum Podolię cum lit-  
teris perducitur. Sub idipsum tempus Palati-  
nus Polocensis dat Sussa litteras, quibus signi-  
ficat, se Polotię cum parte exercitus, à Rege ijs  
cum mandatis relictum, vt quicquid ea in pro-  
vincia hostile superesset, modis omnibus tolle-  
re contenderet: Regem summa placibilitate  
& clementia Principem, quam suæ voluntatis  
significationem dedisset, cūm primum Magno  
Moscouiæ Ducibellum indiceret, ea in volun-  
tate etiamnum permanere: eorum, qui Magno  
Duci parerent, hominum Christianorum cæ-  
dem

## GESTARVM NARRATIO.

dem & fāguinis pfusionem haudquaquā expte-  
tere, quinimò illi parcitum ac consultum velle,  
acceptas iniurias in autore ipso Magno ipsorū  
Duce vindicandas statuere, nisi verò essent, qui  
istas iniurias suo discrimine propugnare vel-  
lent: quod vt illi ne fuscipient, illorum maxi-  
mè referre: hortari se, arce sponte sua potius  
abscederent, impetrabili venia & salute, quām  
vim atq; oppugnationem experirentur. Pala-  
tinus Podoliæ Mosci litteris ad Sussanos lectis,  
mittit subitò ad Palatinum Sussensem ac præ-  
fidiarios, qui dedi arcem postularent: illi salu-  
tem, & rerum, quæ cuiusq; essent auferendarū  
potestatem, atq; in Moscowiam tutò se referen-  
di concessionem pacti, arcem cum omni bel-  
lico apparatu commeatuq; Palatino Polocensi  
militibusq; à Palatino Podoliæ missis, sexta  
die octobris dedunt. Iam ante Philo Kmita  
Capitaneus Orsanensis, cui aliquod turmæ e-  
quitum, & peditum stipendiariorum cohortes,  
erant in eam rem assignatæ, coacta non medi-  
ocri finitimis in locis ex nobilitate alijsq; inco-  
lis militū manu, in Mosci ditiones excurrit, ma-

G

gnamq;

## R E R V M C A P T A P O L O T I A

gnamq; omnia populando vastitatem affert,  
ad duo millia pagorum incendit, & Smolen-  
sciæ suburbij ambustis, magnum ex eo agro  
hominum, magnum pecudum numerum agit,  
suoſq; nullo detrimento accepto intra fines  
reducit. Idem non multò post Constantinus  
Ostrogiae Dux, cum Michæle Visniouecio Ca-  
stellano Braslauiensè, & filio Ianusio Boristhe-  
nē transgressus facit, expeditissimas quasq; Tar-  
tarorum aliorumq; turmas præmittit, has lon-  
gè lateq; populari, & terorem vastitatemq; in  
hostico circumferre iubet, ipse cum reliquis  
copijs Czernihouiam progreditur, castrisq; ad  
arcem metatis, oppugnationem suscipit, ipsaq;  
ciuitate incendio deleta, vim omnem arci ex-  
pugnandæ adhibet : sed quod ea præsidio fir-  
mo, cui nihil ad omnem propugnandi appar-  
atum deesset, teneretur, acerrimeq; locum Mo-  
sci defenderent, in castris paucæ peditum co-  
hortes essent, afflictæ maximis tempestatū in-  
iurijs, missa obsidione, vicina circū loca omnia  
diripit, totaç; Siuerensi ditione vastata, ac po-  
pulationibus ad Starodubam, Radohostiam ac

Podcze-

## G E S T A R V M N A R R A T I O.

Podczepouiam vsq; per leuiores equitum turmas factis, præda ingenti acta discelsit. Simili successu Mecislauiensis præfectus Iaroslauam oppidū pagosq; quam plurimos euerit. Rex posteaquam dierū quinquaginta spacio, Sex ar cibus captis, ad quas Sulsa non ita multo post Septima accessit, prouinciam omnē Polocensem mira agrorum fertilitate, magna fluminum opportunitate præditam, octauo decimo post anno, quam esset ab hoste occupata, bello Rei pub: recuperasset, Polotiam præsidij, fines copijs firmasset, decima septima Septembris die illo de loco discedit: Vehementi quidem studio ferebatur, ut cœptum fœlicitatis cursum vrgerer, & cum magna hostes locis omnibus consternatio ingensq; pauor teneret, longius arma sua in hostiles ditiones proferret: sed cum & præteriti temporis iniuriæ, ( quibus miles admodum afflictus, equorum ingens numerus enectus fuerat ) & grauiores Autumni tempestates, indies ingrauescentes, isti voluntati & studio planè repugnarent, omni cura in comitia omnium Reipub: ordinum habenda

G ij

incum-

## R E R V M C A P T A P O L O T I A

incumbit , cùmq̄ iam ante ex castris de ea de-  
liberatione litteras ad Regni Senatores dedi-  
set, rediens in Lithuania m , ea ad diem vigesimam secundam Nouembbris Varsauiae habitum  
iri edicit, in quibus consilia de bello diutius ad-  
ministrando suscipiantur. Dum Vilna Rex  
ad comitia proficiscitur, è Moscouia per nun-  
cium Moscicum litteræ afferuntur , à duobus  
Legatis Nouogrodiæ Duce Ioanne Theodori  
F. Mscislauiensi, & Mikita Georgij F. Roma-  
nouicio Sacharino , ad Nicolaum Radiuillum  
Palatinum Vilnensem & Eustachium Voloui-  
cium Castellatum Trocensem, Plescouiae die  
trigesima octava Septembbris scriptæ, hoc om-  
ninò argumento. Cùm offendæ duorum sum-  
morum Principum eò progressæ sint , vt arma  
vterq; sumpserit, quibus Poloniæ Rex Poloti-  
am expugnarit, Magnus Moscouiae Dux vindicare  
vicissim id factum in animo habuerit : se  
cum reliqua nobilitate Moscouitica ad Prin-  
cipis sui pedes se abiecisse, obsecrassęq; vt san-  
guini Christiano consultum atq; parcitum vel-  
let. Iстis precibus Principem suum reliquissę  
locum,

## GESTARVM NARRATIO.

locum, & belli expeditionem repressisse, nunc  
mutuo studio iplis atq; alijs Regis Poloniæ  
Confiliarij, apud Regem suum elaborandum  
esse, vt ad similem voluntatem & sistendi cur-  
sus sui bellici, & pacis cum Magno Moscouiæ  
Duce locis omnibus, tam Regni Poloniæ, quā  
Magni Ducatus Lithuaniae, atq; etiam Liuonię  
causa suscipiendæ adducant, in primis verò ab  
eo impetrent, vt in Regiam suam se referat, ac  
copijs suis omnibus tam in Lithuaniae quām  
Liuonię finibus imperet, se ab omni in Moscos  
maleficio atq; iniurijs abstineant. Hæc eadem  
Magnum suum Ducem diligenter facturum,  
rediturū ad sedes suas, suosq; à vi atq; iniuria, co-  
hibiturum. Interea temporis dandam vtrinq;  
operam, vt Principes misis inter se Oratoribus  
rem vtilem & pernecessariam pacem ac con-  
cordiam suscipiant. In extremo litterarum ex-  
cusant, cur Basilius Lopatinscius, quem Rex  
ad Magnum Moscouiæ Ducem ante expediti-  
onem suam cum litteris miserat, quibus se bel-  
lum illi facturum iustum legitimumq; denun-  
ciabat, adhuc in Moscouia detineatur, promit-

G ij

tuntq;

R E R V M C A P T A P O L O T I A

tuntq; simul vt Principum se vterq; ad sedes suas retulerit, se operam datus, vt cum mandatis sui Principis de pace concilianda ad Regem ocijus remittatur. Sub idem tempus Philo Kmitha Orficensis præfectus ad Regem litteras mittit, quas à Palatino Smolensciano acceperat, ijs Philonem Palatinus certiorem facit, se à Magno suo Duce mandata accepisse, ne quam Regijs finibus atq; ditionibus vim aut iniuriam adferat. Monere igitur, vt mutua etiam Philo præstet, neq; permittat, vt sui fines transgressi, hostile aliquid in Magni Ducis Moscouiæ ditionibus committant. Al lati lectisq; vtrisq; litteris Rex omnem eius deliberationem ad Comitia referendam esse iudicavit. —

V A R S A V I Æ.

Typis Nicolai Scharffenbergij REGIJ Typographi cum priuilegio, A N N O D O M I N I

M. D. LXXXIX,

## ERRATORVM EMENDATIO.

- A. 4. pag. 2. versf. 11. cœptis.
- C. 2. pag. 2. vers. 8. retinenda.
- Eadem pag. vers. 17. plurium\_,
- E. 1. pag. 2. vers. 20. miles tenuisset.
- E. 3. pag. 2. Borissus.
- E. 4. pag. 2. versf. 15. cœnosum\_,
- Eadem pag. vers. 20. Palatinum\_,
- F. 1. pag. 2. versf. 20. redundans.

HISTORIA INGENVITIO

A. VIPS. S. C. L. V. C. D. A.  
E. S. P. E. S. L. S. L. S. L. S. L. S.  
C. S. P. S. C. S. C. S. C. S. C. S. C. S.  
I. S.  
S. S. S. S. S. S. S. S. S. S. S. S. S. S.  
A. S.  
E. S. S.